

CARMEN.

Liaci Proceres, celsis quos classibus olim
 Portantes Victos patria ex ardente penates
 Vexit ad Euganeū melior fortuna Timauū,
 Et geminam iussit Romanis arcibus Vrbem
 Condere, & æternum Phrygiae superesse fauillæ:
 Imperio pelagi gens inclyta, cui Pater vltro
 Adriacas sua sceptræ dedit Neptunus in vndas,
 Casibus afflictæ diris succurrite genti,
 Et placidi vestræ miserias audite querelas
 Supplicis, immanes ictus, indignaque passæ
 Funera, & infanda dudum sub clade gementis.
 Qualibus horribili terræ conflata tremore
 Tempestas nostram fatis agitauerit Vrbem,
 Nemo adeo ferus est, rerumque ignarus, & hospes
 Attonitas cuius non fama aduenit ad aures,
 Et lacrimis oculos non humectauit obortis.
 Tristia agebamus quartæ solemnia lucis
 Ante diem Sacro quam claudit lumine Vesper
 Conscius instructæ dapibus cælestibus olim
 Supplicijque inter celebratæ exordia Cœnæ,
 Supplicij, mortale genus, quo stirpis auitæ
 Et nostra luimus contracta piacula culpa.
 Omnibus in templis supplex Chorus, omnibus aris

Al-

Feria
 4 mai-
 ris heb-
 domada

Alternis duræ memorabant cantibus acta
 Historiæ, fama totum celebrata per orbein,
 Ut sata Diuino proles de Semine; postquam
 Sedibus ætherium nostris mutauit Olympum,
 Ad turpes ignominias, ad verbera fæua,
 Ipsiū ad mortis miro properarit amore
 Excidia, & meritas alieno crimine pœnas,
 Proditus, illusus, damnatus, diraque passus
 Vulnera, & infami sublatus in aera ligno.

Terræ motus. Cum tremere horrendum tellus: conuulta repente

Fundamenta quat, postesque, & summa labare
 Culmina: diffiliunt eductæ ad Sidera moles
 Tectorum, celsæque suis cum turribus arces,
 Et delubra Deum populo distenta frequenti,
 Præcipitique cadunt lapsu: sternuntur eodem
 Matres, atque Viri casu, iuuenumque, senumque
 Corpora: non summis vis parcit acerba, nec imis:
 Stat fremitus, qualem dant rauca tonitrua cælo
 Cum reboant, passimque atræ formidinis ora
 Teribili occurrunt visu: consurgit in auras
 Pulueris exciti vortex, perque æthera apertum
 Voluitur, & noctem caligine fundit opaca.

Quis cladem illius, quis funera dira procellæ

Explicit & varium letigenus? ille cudentis
 Immani perit infelix sub pondere testi:
 Hunc pluuij perdunt lapides: hic concava subter
 Interualla recedentis, camerasque ruinæ
 Saxorum ingentem frustra molitus aceruum

Lenta

Lenta animā, ante obitū cumulatūs, morte relinquit.
Non duro constent si pectora nostra metallo,
 Centenisque sonent totidem ora, & guttura linguis
 Omnia multiplicis liceat discriminā fati,
 Atque omnis aditus mortis numerare, viasque.
Nec melior turbæ fortuna superstitis, à qua
 Fatale abstinuit parcarum iniuria ferrum.
 Insperata salus grauis his, inuisaque lux est:
 Vrbem horrent, tædet patriæ lacrimabile bustum
 Vsurpare oculis: fugiunt in aperta, ruuntque
 Consilij, rerumque inopes: pars iusta perosi
 Tecta sub angustis agitare mapalibus æuum
 Instituunt, pars æratas concendere puppes,
 Neptunumque sequi, quatiat sua viscera tellus
 Nunc licet, & moto diuerberet aera dorso:
 Nil nostra: hinc tutis salientes cernere campos
 Continget, refluosque amnes, montesque caducos.
 Linquere pollutas alijs tot cædibus oras,
 Atque alio patriam sibi quærere sole calentei,
 Diuersaque sequi certa est sententia terras.
Quos inter pietate, & Virginitatis honore
 Chara Deo manus ante alias, acceptaque cælo
 Horrescunt sponsæ superum sua templa puellæ,
 Eversaque aras, & inexorata relinquunt
 Numina: Stat vitam tumido committere ponto,
 Et petere incertas alieno in littore sedes.
Quo ruitis miseræ ciues, tuque optime casti
 Agminis Antistes ductor quo tendis, & vnde

De-